

tramur; et non solummodo in ejus interitu damnum fecisse, sed universam rempublicam christianam, cui jam Turcarum Rex apertis faucibus instat. Erat enim Cæsarea Majestas, ut dignitate prior, ita omnibus principibus ex longo rerum usu variaque fortuna in rebus gerendis maximus, adeo ut illi soli hoc tempore universa reipublicæ christianæ salus inniti videbatur: quo sit, ut is ejus decessus nobis acerbior atque luctuosior extiterit, Cum tamen in mentem veniat, omnes ea lege natos ut e vita discedant, nihilque hic sempiternum esse posse, omniaque divino nutu fieri, cui nec refragari nec reniti possimus nec debemus, omnia nobis æquo animo ferenda sunt, et Dei Omnipotentis voluntas, qualiscumque fuerit, amplexanda, et ad ea remedia confugiendum que simili dolori maxime mendentur, præcipue cum is rerum gestarum gloria et vitæ integritate vixerit, tantaque clementia et tot aliis virtutibus prædictus fuerit, ac tandem ea animi quietudine et tanta erratorum in quæ humana fragilitas facile prolabitur pœnitentia naturæ concederet, ut vita nihil amplius ad gloriam facere videbitur, sitque credibile ejus animam Divina misericordia opitulante inter cœlestes ordines assumptam esse. Sit ut ejus Majestati nihil mali; sed nobis, qui ejus absentia cruciamur, qui illius ope caremus, qui ejus easum acerbe lugemus, id quod . . . mali est aliquid incommodi accidisse. Sed cum inter reliquos principes christianos Serenitatem Vestram vehementer amemus, ac animo agitemus ut aliquando concordibus armis atque animo christianæ fidei hostibus et præcipue Selymo turcarum regi, Deo auspice, infecta signa inferemus; et quod utrique nostrum Cæsarea Majestas fuerat, id alter alteri futurum solamen non mediocre, quo melius universæ reipublicæ christianæ et rebus amicorum nostrorum ac præcipue Serenitati Vestrae præsidio et tutamento esse possimus, cuperemus mirifice in Regem romanorum. Et propterea, in conventu augustensi Cæsarea Majestate interveniente traximus nonnullos principes Electores in sententiam nostram, ita ut hanc rem cum nunc alius Imperator an Romanorum rex eligendus veniat, pro voto nostro confectum iri credimus, nam et a nobis nihil prætermissem fuit quod ad hanc electionem nostram oportunum et necessarium existimavimus. Cum autem Serenitas Vestra nobis in hac re plurimum opitulari poterit, et nobis hucusque non mediocriter favere ceperit, rogamus eam magnopere, ut cum mandato Serenitatis Vestrae tamquam regis Boemie, ratificato per tutorem suum Serenissimum regem Poloniæ, ora-

tores suos ad conventum pro electione indictum vel indicendum mittere dignetur, ut nobis vocem quoque suam dare possint. Nos in vero et fide regia Serenitati Vestrae pollicemur, si hujus justissimi voti nostri compotes siemus, et favore illius hanc dignitatem assequi fuerimus, omnia pro protectione et tuitione rerum Serenitatis Vestrae et aliorum intimorum amicorum nostrorum futuros, nihilque a nobis unquam ommissum iri, quod cognoverimus vel ad commodum vel ornamentum Serenitatis Vestrae conserve. Quam diu felicem atque incolumen vivere et regnare eupimus.

Datum in Monte Ferrato, die 6 Februarii, anno Domini 1518.

*A tergo*: Serenissimo Principi domino Lodovico Dei gratia regi Hungariae et Boemie, etc., sororio et fratri nostro carissimo, etc.

#### Litteræ credentiales.

166

Franciscus Dei gratia Francorum rex, Mediolani dux et Genue dominus, excellentissimo ac potentissimo principi Lodovico eadem gratia regi Hungariae et Boemie, carissimo ac dilectissimo fratri et consanguineo nostro felicitatem. Excellentissime ac potentissime Princeps, carissime frater ac consanguineo noster dilectissime. Mittimus ad vos dilectum et fidelem nostrum Poncetum de Turre militem, dominum dicti loci, unum e numero nobilium domus nostræ, cui dedimus in mandatis ut nonnulla robis nostro nomine communicaret, quæ in rem utriusque nostrum et utilitatem pertinere visa sunt. Quare nobis gratissimam rem feceritis, si ipsi mentem animumque nostrum exponenti, perinde fidem habebitis ac si nos coram loqueremur, et voluntatem nostram desideriumque aperiremus; cum pro singulari in nos fide et devotione nihil eum dicturum confidamus, quæ in mandatis non habuerit. Excellentissime ac potentissime Princeps, carissime ac dilectissime frater et consanguineo noster, Deus optimus maximus Vos statumque vestrum diutissime conservet ac tueatur.

Datum Parisiis, die quarta, mensis Februarii.

FRANCOYS.

RUBERTET..

*A tergo*: Excellentissimo ac potentissimo principi Ludovico Dei gratia regi Hungariae et Boemie, carissimo et dilectissimo fratri ac consanguineo nostro.